



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 199. Milites autem duxerunt eum in atrium. v. 16.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

§. 199. *Milites autem duxerunt eum in atrium. v. 16.*

Iam iniquæ sententiæ fit iniquior executio, nam qui iam ante erat flagellatus titulo castigationis ciuilibus, vt ea satiatis inimicis dimitteretur, nunc iterum alio titulo flagellatur. nam hoc etiam sententia mortis habebat, vt flagellatus Iudæis traderetur.

O Anima mea & quotquot Deum amatis qui Christi Iesu pretioso sanguine redempti & à peccatis vestris abluti estis, venite & interno cum dolore videte, quanta fecit Deus animabus nostris, quanta passus est pro iniquitatibus nostris. Et si ista corda vestra non compungunt, aut certe non commouent, ferro ac lapidibus duriores vos certe esse arbitramini. Aspici- cite vt Rex gloriæ pro vestris hic sceleribus vulneratus & deformatus effectus est, videte si dolor vllus hisce possit doloribus æquiparari. Quid ultra ab eo exigitis? Quod si & ista non sufficiunt, plura adhuc pati paratus est. Aliquid ne in corpore eius putatis remansisse illæsum & integrum? En pro peccatis vestris libens etiam mortem excipiet, sanguinemque suum ad extremam vsque guttulam effundi patitur: sed & cor ipsum vestri causa confodi sinet, vt ipsum vobis patefaciat, nimiumque suum declaret amorem.

Diligamus quæso eum omni mente, omni virtute qui nos tam immenso amore complexus est, contraque modis omnibus spernamus eum, cum vniuersis consilijs ac suggestionibus illius, qui hostis est implacabilis & interfecto animarum, qui in hoc solum totis incumbit viribus vt nos secum ad æterna locorum infernalium tormenta abducere queat.

§. 200. *Et conuocant totam cohortem. v. 16.*

Milites scilicet Romanorum stipendia facientes & qui semper Hierosolymis morabantur cum Præsidi, propter crebras Iudæorum seditio- nes & tumultus. Hi eo die in atrio Præsidis excubias facientes, empti pecunia forte per Iudæorum Principes, vt varijs ludibrijs & tormentis Christum agitent. Itaque Iudæi æstimantes non sufficere posse paucos, con- uocabant totam cohortem, vt quod vni deesset in inuentione nequitia id alter suppleret. Hi igitur simul existentes Christum illudere incipiunt, idque tanta petulantia & risu, vt similia nusquam aut lecta aut visa sint, imo nec credi possent, si non tam diligenter Euangelistæ singula scripsis- sent. non quidem legitur Pilatus hæc præcepisse, sed milites sua sponte vel emptitie fecerunt, vel vt Iudæis gratificarentur. Interim tamen Pilatus coniuert, tacet, dissimulat, non prohibet, vnde excusari non potest à culpa qui tantam malitiam in innocentem factam, non saltem verbis coarguit.

S 2

Decem